



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

53. An Episcopi possint examinare Regulares, qui prædicare volunt in alienis Ecclesiis? Et an saltem Religiosi Mendicantes semel examinari in una Diœcesi ad prædicandum non possint in ea amplius ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

De Dubiis Regularium. Resol. LII. &c. 35

decem & octo annos ac trecentos viginti dies Indulgentiarum; extra vero suas Ecclesias ultra dictos 18. annos 222. dies tantum. Ac tempore Quadragesimae praedicantes apud suas domos ferias 2. 4. & 6. centum quinquaginta sex annos, & viginti quatuor dies, & hoc ex variis privilegiis Pontificum, quas quidem Indulgentias dicti Praedicatores debent expressè concedere nomine suae Sanctitatis, aliàs auditores illas non lucrantur. Ita Hieronymus Rodriquez ubi supra, resolut. 112. n. 20. & resolut. 77. n. 58. Portel in dub. regul. ver. Praedicatores num. 15. Miranda in manual. Praelat. tom. 1. q. 50. art. 10. & alij.

Vnde supposita quod si vera, non est ab ea recedendum.

RESOL. LIII.

An Episcopi possint examinare Regulares, qui praedicare volunt in alienis Ecclesiis?
Et an saltem Religiosi Mendicantes semel examinati in una Diocesi ad praedicandum, non possint in ea amplius examinari? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 42. alias 41.

RESOL. LII.

An Regulares sint ab Episcopis examinandi si munus praedicationis. exercere velint in alienis Ecclesiis? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. Res. 20.

Pro negativa sententia in 3. part. tract. 2. resolut. 111. adduxi Mirandam, & Rodriq. quibus nunc addo Cyprianum Croufers in Regulam S. Francisci. cap. 9. lect. 1. ubi probat ex Concilio Tridentino sess. 5. cap. 2. quod tam examen quam approbatio Praedicatorum regularium, ab universitate Episcoporum ibidem congregatorum, non committitur Episcopo loci, sed Superioribus Ordinis quibuslibet respectu suorum; nec, ut regulares praedicare possint in Ecclesiis Diocesanim, praeter examen, & approbationem Superiorum, examen aut approbationem ipsius Diocesanum requirit: sed solum eiusdem licentiam, quam gratis concedere iubetur. Quapropter, sicut fratres non tenentur se subicere examini Episcopi, neque etiam Episcopus iure id exigere potest à fratribus, & contra dispositionem Concilij Trident. facit, si tantum, quia fratres nolunt se eius examini subicere, non vult eis dare licentiam praedicandi in Diocesi: sicut iniquè ageret Parochus; qui nollet illos, qui ad praedicandum admissi sunt ab Episcopo, praedicare in Parochia sine sua licentia speciali; quod si quaerant Ordinarij, quo privilegio praedicatores mendicantium exempti sint ab eorum examine? Respondetur, esse exemptos iure Concilij Trident. cui subscriserunt omnes Episcopi Catholici: ubi verò Concil. Trident. non est receptum, praedicatores Ordinum mendicantium, ab Ordinario examine sunt exempti, per Clement. Dudum, de sepulch. Ita Croufers. Et nouissime hanc sententiam docet etiam Ludouicus Cellotius de Hierarchia. lib. 5. cap. 22. ubi etiam docet pro leui, & temporaria praedicatione esse in arbitrio Parochi admittere Regulares ad concionandum sine licentia Episcopi, nam Concilium loquitur de diuturna, & ordinata praedicatione. Idem etiam in fauorem Regularium tenet Henriquez lib. 10. cap. 23. in Glossa, littera L. Alter Rodriquez in Compend. Q. Q. Regul. resolut. 112. num. 1. in fine. Campanili in Diner. iur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 20. quos citat Barbosa ubi infra. Vide etiam Laurentium de Peyrinis in Privileg. Minim. tom. 3. c. 2. num. 11.

2. Verum licet me citato hanc sententiam teneat etiam Franciscus Bordonus in Consilijs Regularium, resolut. 7. num. 16. tamen num. 17. obseruat, vt ego ubi supra obseruaui, praxim esse in contrarium, & ita declarasse Sacram Congregationem die 22. Ianuarij 1628. afferentem posse Episcopum examinare Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae non sunt suorum Ordinum. Et de hac declaratione testatur etiam in Concil. sess. 5. capite secundo, numero 20.

§. 1. **N**egativam sententiam ex Barbosa, Miranda, & Peyrino docet nouissime Pellizzarius in Manual. Regular. tom. 1. tract. 8. c. 4. sect. 1. numero. 22. Quia si quod ius habent Episcopi examinandi Regulares Concionarios in aliena Ecclesia, maxime est ex Concil. Trident. sess. 23. c. 15. statuente, nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus indicetur: cum tamen potius oppositum in Concilio praefato decernatur; statim quod sess. 5. cap. 2. Praedicatorum Regularium examen de vita, moribus, ac scientia ibi committitur ipsorum Superioribus, seu potius supponitur esse de iure commissum: eoque praemisso Regulares praedicaturi, solum obligantur ad petendam licentiam, aut benedictionem ab Episcopis modo supra dicto: idque nulla mentione examinis facta: In odiosis autem, (cuiusmodi utique est examen, de quo hic) non est faciendae extensio à calu expressio ad non expressum; & consequenter ex eo, quod Regulares subiciuntur examini Ordinariorum, ad hoc vt approbentur pro confessionibus; non sequitur illos etiam subici examini, ad hoc vt approbentur pro praedicatione: cum haec duo sint diuersa, & à diuersis non fiat illatio praesertim cum Leo X. in sua Constitut. 21. relata in Bullar. tom. 1. statuatur, vt Regularis praedicaturus, non solum examinetur per suum Superiorem (onerans in hoc conscientias superiorum,) sed etiam vt ille quicumque praedicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris fidem legitime faciat. Ex quo constat vt praesentis Constitutionis denegari Episcopis potestatem examinandi Praedicatorum Regulares hoc ipso, quod hi adstringuntur exhibere Episcopis testimonium authenticum suae doctrinae per examen exploratae, vt sic ipsis sufficienter innotescat illorum idoneitas: aliàs quippe inutilis esset exhibitio talis testimonij, nimisque onerarentur Regulares, si ad obtinendam licentiam praedicandi necessario subici deberent examini, tum Episcoporum tum Superiorum Regularium. Huculque Pater Pellizzarius, qui pro hac sententia citat Campanilem, & Cespedem, & me etiam adducit in p. 3. tract. 2. resolut. 111.

2. Sed ego ibi adduxi tantum Mirandam, & Peyrinum, nec illis adhaesi, imò dixi, praxim esse in contrarium, quam video canonizatam à Sacra Congregatione Concilij in vna Vngentina die 22. Ianuarij 1622. cuius verba haec sunt. Praedicare volentes Regulares in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt examinare potest Episcopus. Hanc declarationem addocit, & sequitur Barbosa in decis. Apost. Collecti. 591. num. 3. Bordonus in Consil. Regul. tom. 1. resolut. 7. n. 15. & Lezana in summa tom. 3. verb. Concionarij, num. 7.

3. Ad id verò, quod asserit Pater Pellizzarius di-

Sup. hoc in duabus praecedentibus Res. & in Res. seq. §. vi. & in fine Res. 57. verif. Sicut etiam.

Quae hic est infra Res. 55. §. vi.

tae declarationi Sacrae Congregationis obstare Bullam Leonis X. Respondeo, negandum esse; nam licet asserat in dicta Bulla Pontifex, Regulares pro praedicatione examinandos esse a suis Superioribus non negat minime Episcopos, postea si velint, examinare illos non posse; sicuti quando Episcopus non ordinat, examinat suos Diaconos pro Ordinibus alibi recipiendis, & testatur de hoc in dimissoriis; & tamen non ex hoc sequitur Episcopum ad quem mittuntur non posse illos, si velit examinare, ut de facto aliqui examinant, ut docet Alzedus in *praxi Episcop. part. 2. c. 3. n. 71.* & alij. Ergo, &c.

4. Nec obstat dicere, quod Concilium, quando loquitur de praedicatione Regularium, non facit mentionem de examine: nam respondeo, Concilium asserere, Regulares non posse praedicare in alienis Ecclesiis, nisi ab Ordinario licentia obtenta. Ergo, supposita necessitate dictae licentiae, debet Ordinatio consistere de sufficientia Concionatoris: sed hanc Episcopus assequi non potest, nisi per examen: ergo per Concilium, Episcopis dictum examen concessum est: quod patet ex obseruantia subsequente; & ideo recte dicitur, quod consuetudo sit optima legum interpretis, *ex leg. 37. ff. de legibus*, & statuta ex praxi, & obseruantia ipsorum practicata, interpretantur, restringuntur, & ampliantur, ut probant Doctores, quos citat, & sequitur Hultricus Hannius in *sua Encyclopaedia iuris, part. 1. tit. 3. c. 7. num. 71.* Ergo, &c.

5. Confirmantur supradicta ex Bulla Pij V. allata à Basilio in *Florib. Theol. mor. verb. Prædicator. n. 7.* Tamburino de *iure Abbatum tom. 2. disput. 11. q. 2. num. 12.* & Emanuel Sà *verb. Prædicare, num. 7.* ubi habetur, Religiosos Mendicantes semel examinatos in vna Diocesi ad praedicandum, non posse in ea amplius examinari: ergo dicendum est contra Pellizzarium, & alios, Concilium præbuisse Episcopis potestatem examinandi Regulares, quoad praedicandum; nec Bullam Leonis X. abstulisse Episcopis hanc potestatem; cum Pius V. clarè asserat, Regulares Concionatores ab Episcopis saltem examinari posse.

6. Non deseram tamen hęc adnotare in fauorem amicissimi Patris Pellizzarij, suam sententiam præter Doctores ab ipso citatos, docere mordicus Cyprianum Croulers Cappucinum in Regulam D. Francisci ad *cap. 9. lect. 1.* & probabilem ex Miranda existimare Hieronymum Rodriquez in *Compend. 99. Regular. cap. 111. num. 2.* Verùm cum circa præsentem quaestionem adsit praxis in contrarium, & declaratio Sacrae Congregationis, ut vilius est, ab opinione affirmatiua non recedo.

RESOL. LIV.

An Regulares, si velint praedicare possint ab Episcopo examinari? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 29.

Sup. hoc in
tribus præ
cedentibus
Ref. & in
Ref. seq. 5.
vlt. & infra
in fine Ref.
57. vers. sicut
etiam.

§. 1. **N**egatiuè respondet Bruno de *privileg. Regular. tract. 6. c. 2. propos. 3.* Quia cum examen de prædicatore capacitate ad superiores Regulares spectet, nec de obligatione ad aliud examen in iure, & Pontificis concessionibus sermo habeatur, nulla ratio illud admittendi apparet. 2. Quoniam etiam vigente Tridentino non est imposita huiusmodi obligatio; nam de illo nullam facit mentionem, quando de Prædicatore Regulari agit, sed tantum illi imponit onus se se præsentendi, & benedictionem petendi ad praedicandum in suis Ecclesiis; & vltra hæc duo ad praedicandum in alienis Ecclesiis. 3.

videlicet licentiam ab Episcopo accipiat, sic habetur *sess. 5. cap. 2.* Et hanc sententiam veram esse, ac de iure sustinet Mauritius Alzedus in *praxi Episc. p. 2. cap. 13. num. 104.* Barbosa de *potest. Episcop. part. 3. d. leg. 1. 6. num. 23.* Hieron. Roder. in *Compend. Regul. resol. 112. n. 2.*

2. Nec obstat, Sacram Congr. Cardinalium in Quæstione vna vngentina sub die 22. Ianuarij 1622. ex relatione Antonini Diana, *tract. 4. Miscellan. resol. 22. de. 1.* clarasse, posse Episcopos examinare Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quæ non sunt suorum ordinum, quoniam nec de illo decreto authenticè constat: nec si constaret, reuocatur priuilegia, ius commune, & Tridentinum, quod etiam in litteris Apostolicis, imò & in Concilijs, quando aliquid determinant, necesse est. Accedit, quod ab illo tempore fuerunt confirmata priuilegia Regularia, quæ Tridentino non aduerfantur: illud autem priuilegium exemptionis ab examine, non est illi contrarium, ut probatum fuit.

3. Nec obicitas, Regularem pati illud examen ab Episcopis, antequam prædicandi licentiam obtineat: imò à multis obligari iuramento interposito se ordinationes Diocesis obseruaturum. Respondeo primò, illud examen ab omni Regulari non sustineri, nam notum est omnibus à Fratribus Minoribus Capucinis non tolerari: si alius illud sustinet, non propterea amittitur priuilegium; ut in 1. tract. probatum est: sed violentiæ, & iniuriæ sibi factæ indulgens, priuilegium non vitiat. Quod similiter facit cum iureiurando pronuntiat, se seruaturum Diocesis ordinationes quæ si non æquiuocè iuret, non dubito quin peccet. Potest autem amphibologicè verbis iuramentum exprimentibus, vel, & melius, verba illa exprimere absque iurandi intentione. Nam sicuti competente Iudice illud à non suo subdito exortuente in iudicio potest non subditus id facere, cur similiter id agere non potest Regularis, cum ab Episcopis vtpotè iudicibus incompetentibus, iurare cogitur? Aduertant autem Illustrissimi Domini Episcopi, quod hoc agendo grauius peccant; cum actum iurisdictionis, & torture exerceant in non subditum sitque illis hoc prohibitum tum ex iure, tum ex priuilegijs: ut alibi diximus. Hucusque Bruno.

4. Sed licet hæc de iure videantur procedere, tamen Praxis est in contrarium, nam Regulares praedicare volentes extra suas Ecclesias, examini Episcoporum se subiiciunt; & ita ex declaratione Sacrae Congregationis tenet etiam Pater Lezana in *summa tom. 3. verb. Concionatores Regulares num. 7.* Vnde Reuerendissimus, & amicissimus Pater Bordonus merito Generalis suæ Religionis in *Consl. Regular. tom. 1. ref. 7. num. 17.* Postquam adduxisset Bullam Leonis X. à Bruno adductam, sic asserit; Dixi de iure, quia in Praxi seruatur oppositum volentibus Episcopis examinare Regulares, licet à suis Prælatibus approbatus, prædicaturos in alienis Ecclesiis; & in confirmationem huius praxis fuit resolutum 22. Ianuarij 1628. posse Episcopos examinare Regulares prædicatores in Ecclesiis suorum non Ordinum, teste Aldano *titul. 4. num. 10.* apud Barbosa *ad cap. 2. sess. 5. numer. 20.* eam resolutionem se non vidisse authenticam asserit Peyrinus citatus, sed non passim extermindandæ sunt resolutiones Sacrae Congregationis vti adulterinæ, maxime cum constat de tempore, & loco, pro quo data fuerunt, ut de hac clarum est apud præcitatos; illæ verò sunt suspectæ, quæ carent tempore, loco, & personis, in quarum fauorem emanarunt. Ita Bordonus.

5. Non deseram tamen adnotare, sententiam Patris Bruni docere etiam Pellizzarium in *Manual. Regular.*